

ANNO DOMINI DCX.

BULGARANUS COMES.**NOTITIA HISTORICA IN BULGARANUM.**

(Antonii Bibl. Hisp. vet., t. I, p. 368, n. 218.)

Bulgaranus comes sub Gundemaro rege (biennium hic Gothis, usque ad annum 612 imperavit) Gallie Narbonensis praefectus, plures epistolas ad diversos direxit, quarum ad nostram usque aetatem adhuc ineditae in quodam Ovetensis Ecclesiae Codice membranaceo ante quingentos annos jussu Pelagii episcopi ad usum Alphonsi Castellae ac legionis regis VI exarato; atque in alio Codica Complutensis sancti Ildephonsi collegii, Ovetensi isto antiquiore, servatae sunt. Quibus quidem epistolis, quarum una ad regem, duae ad episcopum quemdam nomine *Illustrem* (a), aliae ad

alios scriptae leguntur (Bulgarani epistolarum *ἑπτὰ* apud nos habemus, ex Codice Ovetensi exscriptarum: quarum prima est ad episcopum quemdam Franciae; secunda ad eundem, tertia ad episcopum nescio quem quarta et quinta ad Agapium episcopum; sexta, ad Gundemarum regem. Quas omnes, simul cum aliis diversorum, quas inter *ἀνέκδοτα* servamus, publici juris aliquando faciemus. Card. de AGUIR. (b). Nonnulla illius temporis gesta, nec aliunde nota, manifestari, Ambrosius Morales, rei auctor, et oculatus testis, lib. XII, cap. 44 Historiae suae, nos docuit.

(a) *Illustrem* hunc Franciae, seu potius Austrasiae episcopum vocavit Moralius quasi id proprium ejus nomen fuisset, deceptus, uti ego existimo, vulgari compendio III. quod in Complutensi (nunc Escorialensi [*Digramm. et Plut. I. num. 14*]) codice viderat: cum id in veteribus codicibus ante annum Christi M. exaratis, indicando *Incerti*, quod ignoramus aut reticere volumus nomini adhibeatur: quemadmodum apud Graecos *δαις* et *δαινα*, apud Hebraeos *פלוני* *peloni*, et contractus *ploni*, unde Hispanicum *phulano*, eodem prorsus *Incerti*, aut Innominati significatu. Latini id per *quidam* exprimunt. Recentiores Codices ejus loci substituunt N. Aliud dicendum de compendio INL et maxime cum decessata L hoc modo INL: Quod in codicibus Gothicis aut Gothici

saporis *inlustrem* sive *ilustrem* valet, ut saepius periculo facto didici.

(b) Exstat in regiae Bibliothecae Matritensis Codice non *ἑπτὰς* modo sed *ἑξήμισ* Bulgarani epistolarum, si binis quas cardinalis Aguirri s habuit ad Agapium, aliam ad eundem directam adjungimus, quae in codice nostro, atque item in Escorialensi *Lit. B. Plut. III. n. 14*, ordine septima est. Aguirrius fidem de iis edendis videtur, non liberasse. Ternas priores ad *Incertum Franciae* sive *Austrasiae episcopum* quia nonnihil ad Hispaniae historiam conferunt, primus omnium evulgavit cl. novissimae editionis Valentinae Joannis Mariana Historiae Hispanicae curator D. Vincentius Noguerra et Ramon alibi a vobis laudatus, vol. II quod anno 17. 5 prodiit, a pag. 548.

**BULGARANI COMITIS
EPISTOLÆ TRES*,**

AD EPISCOPUM FRANCIAE DIRECTÆ.

(Mariana, Historia de Espana, ed. Val., t. III, append.)

EPISTOLA I.

... Interea notescimus sanctitati vestrae ad nos opinione vulgata pervenisse Brunigildem virginem et Theudericum regem amarissima sub dispositione assueta diffundentes venena, in excidium unitae gentis contra gloriosum Theutibertum regem atrocissimum barbarorum excitasse dimicare regem. Quod si specialiter ita res agitur, quid necesse est, nisi ut ante arma bellica cunctus in hac parte precibus elaboret divinum populus implorando suffragium, unde petimus evidentiam rei nobis significari? Ut et nos participes effecti fidelium pari fidei flagrantia consurgentes, cum universis sacerdotibus, clero, cunctaque hujus provinciae Christianorum plebe, indictis

* Sparsim mendosae, ut legenti patet. Epir.

Cletaniis redemptorem omnium Dominum supplicationibus aedamus; ut invictam potentiae suae in defensione catholicorum praetendat dexteram, et aemulantis perfidi hostis condignum meritis adsit intentionis interitum; atque jurgiorum auctores, vetusti serpentis machinatione nudatos in exemplum reserata clareat cunctis per circuitu justa nostri Domini ultione prostratos poscentes. Ut si scripta quae paulo ante glorioso Theutiberto regi directa, sicut polliciti estis, destinare procurastis: aut si missi vestri jam reversi sunt, vel quod reciperetis responsum, vel si usque hic placita deportantes, aut certe si ad praesentiam gloriosissimi domini mei Gundemari regis preparaturi advenerint, certius sciamus *quomodo* aut

ubi pecunia præparetur, nos veraciter ut confidimus una cum beatitudine vestra sospitatem reciprocatim forwäre jubeatis affectibus.

EPISTOLA II.

.... Etsi universus axe sub aethereo limes terrarum Domino cernitur opifice constitutus, et omnium potestate pollentium ipsius mirabile constet ordinatione divisus, necesse est ut ejus evangelicam vocem custodientes, vel quærerere eos quos una in Christum fides consociat, vel diligere; et quamlibet a temporali dominatione segregemur imperii, congruet ut præceptis principis non dissociemur æterni. Unde beatitudinem vestram gratia cœlesti diffusionem florentem, et spirituali largitione exuberantem quam Domino propitiante intercurrente stylo effici volumus charitate devinctum, his destinatis cum summo desiderio literis; non solum inquirimus, sed et salutis cum debito necessariarum rerum alloquio impertimus. Quia non immerito præcipuum te pastorem suo Christus dedicavit ovili, ut cum velut sanguinis generositate mihi, beatissime Pater, præpolleas, ita de suarum innumeras ovium geras sollicitudinem animarum. Tali quippe in usu persistere quibus vel major vel minor cura in populis adhibenda committitur: ut quantum divina efficiuntur in pensione sublimiores, tantum debent circa his quibus præponuntur existere indesinenter pervigiles. Et quia latere beatitudinem vestram non arbitror quod filius vester dominus Theutibertus cum gente Gothorum a decidentibus velut olim existit colligata principibus, nunc per peritorum allegatione pacem per legatis ejusdem gentis devovit roborare perpetuam. Ex quo aliquid gratiæ merito pecuniæ, numerum [Forte, Avarorum] gentis pollicitus est impertire Francorum. Unde jam me constat, memorato filio vestro domino Theutiberto per venerabilem fratrem vestrum dominum et in Christo mihi patrem verum episcopum destinasse scripta, per quas innotui quod jam pecunia a filio vestro domino meo Gundemaro rege directa. Hic mihi in Gallias esse dignoscitur, ut prudentes ex suo dirigat conspectu legatos: et ea quæ ob charitatem gens Gothorum sperat universa, promittit tradentibus placita saltem contradamus hominibus. Obinde tuam sanctitatem debita humilitate depono, ut quantum Dominum diligis Jesum, qui pacem præteritis sæculis dereliquit futuris, hujus confirmatione pro pacis tantum intendere digneris delectabiliter. Et si agnoscitis eam quam direximus ad dominum Theutibertum paginam pervenisse; aut si ea quæ per legatis Gothorum sunt sub definitione imita, si manebunt veraciter allegata, vel quantum prædictus filius vester in Abatorum [Forte, Avarorum] bellica triumphatus est acie, vestris mereamur affectibus informari. Nam et nobis currenti est opinione plebis compertum, quod Brunigildes reginæ et Theuderici regis ipsos Abates [Forte, Avars] ad bellandum domni Theutiberti convocatos et de suis sedibus transmigrare provinciam: quod enuntiare catholicorum infandum est auribus, ut Christiana sub religione personas revera procul a Domino constitu-

tas, in Christianorum provocarent descivere. Nec credimus eos ab illis existere meliores, sed ita manifeste socios comprobamus qui de mundum debitis scelerum ministrat retamenta personas. Hoc igitur vestra sanctitas si evidenter agnovit, quod ex prædictorum regum consilio super orthodoxi principis regionem impia se fudit hostilitate caterva, per vestro nobis declarare jubeatis stylo, ut hac filii vestri gloriosi domini mei Gundemari regis ad ordinationem nostram pertinente provincia, indicta sacerdotes cum populo omnipotenti celebrent jejuniarum solemniam; ut accedentium injuste atque longe a domino corda virorum, siderea confringat virtute bellantium, et gente Christianæ fidei dogma custodienti laudabilem cœlesti pietate jubeatis conferre tropæum....

EPISTOLA III.

Dilectissimo atque in Christo reverendissimo Patri episcopo Bulgaranus.

.... Notum est Domino omnipotenti qui justum indicat servum, et injustum justa damnationis ultione perimet, quia ante hos dies, quod tuam non reor latuisse beatitudinem, chartas gloriosissimorum regum idemque filiorum vestrorum Brunigildes reginæ et Theuderici regis, per eodem nobis fuerat transmissas. Et ut eas ipso præciperemus tradente, memoratorum series scriptorum denunciavisse, qui eadem suorum scripta dominorum una cum suam ad nos usque suggestionem deduxi, et ut aditum ad nos perciperet commœandi supplex scribendo nostram ordinationem poscit. Nam nullo cum desiderio, neque exquirere elegit nos, neque ab nullis indigimus intruere materiis; et quam neque si venisset pro responso dominorum suorum denunciando anqueramus: tantum quia minime properavit, nequissimus nam de homine vestrum illum cujus ad præsentiam filii vestri gloriosi domini Gundemari regis efflagitare videamini aditum, debet mens vestra in summo propositionis tabescere exordio, dum veritas vobis experto lumine fulgeat, et justitiam quam speculo interiori prospicitis, injusta verborum excusatione dissimuletis. Quis vestræ non prospiciat sanctitatis ingenium, et ea quæ actibus exasperastis illicitis, blandis intenditis eloquiorum lenire tendiculis? Talem enim vestram, si veniam tribuitis, dissimulationem censemus. Quale si quisque debitor humano pudore sublato, protervix incitamento, prærogativis generatorem pulset objectionibus et veritatem habens pusilentus creditor legat, quam calumniator loquendo penitus erubescat. Manet enim filio vestro glorioso domino meo Gundemaro regi cunctæque genti Gothorum non exigua sed magna pecuniæ repetitio, ut nobiles ejusdem gentis legatos vestra magnificentissime cum consolato veritatis gratia discurrerent ab vestro injuste principe capti. Geminata malitiæ largitate dedecus omne relegationis perferant egestatis opprobrio. Pateat vero Totilanem et Gundrimirum viros illustres a serenissimo domino meo Gundemaro rege directos, in finibus vestris in locum Irapias post illatam eorum despectionem ulter præceptione clausistis, et ad vos usque succedere

loculenter aditum denegastis. Ecee quæ pars vestra commiserit vestris non sunt incognita mentibus; et tantum a vobis injuriæ acerbiter vehementibus insuper vestrorum ad præsentia inclyti domini mei legatorum, vestri simulando litteris, viam aperire conqueritis. Videat altissimus a cœlesti solio princeps hanc causam; et divina partem ultione confodiat qui injuste parti alterius visus est conferre molestiam, et qui charitatem respuendo pacem excelsæ potestatis violaverit captiose dilectam. Licet dum filiorum regum idemque vestrorum litteras accepissem, eorum protinus reformavi rescriptum quod si memorati gloriosi principes acceperunt, sive in vestra fuerit cognitione deductum, nullo denuntiante comperimus. Sed et vestræ itaque honorificentie declaramus, si remoto simulationis pacem typo servare desideratis, quæ dominio maxima sors esse cognoscitur, et Christum diligenda concordans cum Gothis corde aptatis permanere devoto; non oportet ut ea tantum labiis fallentibus proferatis, sed pacem quam nobis servantibus ipsi prius irruere, perfectis demonstrandum operibus demonstratis. Dignum est vestri ut primum in sua dignitate Gothorum restituantur legati; et inter affinem sanguinis gentem servantem pacem, Domino adjuvante, vestrorum, si necesse

est, ad præsentiam gloriosi domini mei libertas maneat itineris legatorum. Nam de locis unde intimastis Jubiniano et Corneliano, quæ in provincia Gothorum noscitur domna Brunigildes possedisse, ut suis post ejus jure aditum tribuamus hominibus; ordinandam miramur tuam sic nos hortare beatitudinem, ut loca quæ pro stabilitate concordie sanctæ memorie dominus noster Recharedus rex in jure memoratæ contradidit domnæ (ut) a partibus vestris scandalum nutrientibus scœdus sit charitatis disruptum: et pars jura quæ stimulum illicite suscitavit, jura debeat gentis possidere Gothorum. Arbitror enim ut ea quæ pars vestra injuste noscitur admisisse, si emendare malueritis, poterit gentem vestramque in charitate connexam, eadem suo jure domna Brunigildes defendere loca. Te quippe, beatissime vir, dum hactenus benignis animis, et sæcularibus vigilantem studiis, nimisque formidare omnipotentem meminimus? Quomodo cures si tantis temporibus charitas utriusque illæsa agentis es Deo dicatus antistes a principibus, ut quæ pax olim a prioribus gentium utrarum gentibus colligata, nunc maneat dissoluta, dum vestro debuit ex consilio in perpetuum existere roborata?

ANNO DOMINI DCX.

PAULUS EMERITANUS,

DIACONUS.

NOTITIA HISTORICA IN PAULUM EMERITANUM.

(Antonii Bibl. Hisp. Vet. t. I, p. 373, n. 211.)

Hujus temporis Paulus ille est Emeritensis diaconus, qui de Vita et miraculis Patrum Emeritensium librum nobis reliquit. Hunc a multis desideratum primus edidit Barnabas Moreno de Vargas Emeritensis urbis decurio, qui ejusdem quoque historiam conscripsit, Matrili anno 1631 in-4°. Deinde iterum D. Thomas Tamaius de Vargas, vir clarissimus, ad veteres cum Gothicæ tum Latinæ scripturæ membranas collatum, ac propriis notis illustratum, Antuerpiæ apud Joannem Meursium 1638 in-4°. Octo scilicet exempla is ad manus habuit, quatuor Gothicis litteris, totidem Latinis exarata. Ambrosius Morales in scholis ad sancti Eulogii Toletani episcopi et martyris caput primum libri II Memorialis sanctorum, alterius quoque ejusdem operis meminit. *Paulus hic Emeritensis* (Act. Hisp. illust. tom IV, p. 282) *diaconus, cum Emeritensis Ecclesiæ et antistitum ejus historiam scripsisset, tum etiam de aliis sanctis viris quædam adjunxit, exstat etiam ejusdem confessio catholica (a). Quæ duo opera mss. non*

parum antiqua in S. Ecclesiæ Toletanæ bibliotheca habentur, eadem multo vetustiora in nonnullis aliis bibliothecis conspeximus. Laudant Pauli hanc historiam, cum idem Morales aliis locis (In Prolegom. tom. II, sub titulo *Las ayudas que tuvo*, et lib. XI, c. 72), tum alii, tam nostri quam exteri scriptores (Baronius ad ann. 589 tomo VII. Mariana lib. V, cap. 13. Padilla cent. VII, cap. 17, pluresque alii, quos Tamaius collegit in principio Notarum). Inter quos Hieronymus Romanus Augustinianus de Republica christiana agens lib. I, cap. 15, in suis Mundi rebus publicis, quoddam hujus operis exemplum manu se redemisse ait, et veluti ex Orci faucibus eripuisse a quodam bibliopola Complutensi, dum perdere id jam vellet; atque cum aliis libris Toletanæ Ecclesiæ donasse. Eaque eo videtur proposito ab auctore formata, ut exemplis rerum domi, hoc est in urbe Emeritensi mirabiliter patrarum fidem eorum confirmaret, quæ de Italiæ suæ miraculis sanctus Gregorius libris IV Dialogorum collegerat. Quos

(a) Diligenter evolvi cl. Andreae Marci Burriellii excerpta e bibliotheca Toletana quæ in regiam Matritensem concessere; tum uostrâ, atque Escuriæ-

lenses mss. catalogos, si forte in hanc Pauli Emeritensis *Confessionem catholicam* incidere. Sed frustra fui.